AD MARIVM FARNESIVM

Virum Illuſtriſſimum.

7bis

IANI PELVSII CROTONIATAE NAENIAE.



PARMAE. Apud Eraſmum Viothum.

Permiſſu Superiorum. 1591.

MARIO FARNESIO
VIRO ILLVSTRISSIMO
IANVS PELVSIVS
Crotoniata S. P. D.

DOLVI equidem, & vehementer dolui immaturum interitum IVLII FARNESII, tui fratris filij Illuſtriſs. adoleſcentis omnibus Deorum muneribus ornati, mei vero ſupra modum amantiſſimi. Itaq; quum vicem eius acerbam carmine queſtus eſſem, has ingenij mei nugas, quas nænias appellaui, tibi potiſſimũ dicare volui, quippe qui ab ipſa infantia, ſummo ſtudio ad humaniores litteras incubuiſti, magnaq; felicitate totam eruditionem complexus es. Quo decentius in tuo nomine apparerent, aliquot odas eiuſdem argumenti addidi: qualeſcunq; ſunt, placidus admitte, & ſi quid in eis ad abſolutam odarum abſolutionem deſideraueris, id ipſi authori pro tua facilitate condonabis, & me Sereniſſimæ Farneſiorum familiæ ſtudioſiſſimum clientem tueri vt facis, perge. Vale. Parmæ. ex ædibus Farneſianis ſexto Nonas Maij. M. D. LXXXXI.

AD MARIVM FARNESIVM
VIRVM ILLVSTRISS.
In obitum IVLII FARNESII adoleſcentis Illuſtriſſimi.

ROMANAE IVLI *gloria Curiæ,*
Qui primo ab æui flore pueritiam
Cum laude triuiſti tot annos
In ſtudijs Latiæ Mineruæ,
Retro relinquens ſtemmate fulgidum,
Agmenq; clarum dotibus ingenî,
Quod dia virtus inſerebat
Sideribus radiantis aulæ,
Inter ſupremi Præſulis Aulicos
Sic te gerebas, omnibus vt fores
Iucundus æque, gratus æque
Nobilibus, tenuiq; plebi:
Non ambiebas prima ſedilia,
Nec hauriendo cymbia Liberi,
In alea diem terebas,
Quo iuuenes vitio laborant:
Nec otioſo deditus otio,
Impertiebas diuitias lupis,
Lenisq; ; egentibus ſed illis,
Quos mala pauperies fatigat.
Eras ephebos ante alios tuæ
Sortis ſacrato iure opulentior,
Et rethorum ſchema, & colores
Pieridum melius ſciebas;
Suam parentem quam puer: aut domum,
Lucumq; Martis turba Quiritium:
Tuoq; recto iam ſuperbos
Conſilio Proceres iuuabas:
Non ad Lyæi pocula, vel tori
Plumas inerteis nam fueras ſatus,
Nec marcidi ad ſomni ſoporem,
Atq; ſoporiferum veternum.
Tibi patebat vis ſapientiæ
Diui Platonis: ſcitaq; Socratis:

Doctrina & illa, quam iuuencos
Pythagoras docuit Crotone.
Excultus almæ Palladis artibus,
Eras Camœnis præſidium ſatris,
Vt regijs auis creatus
Cilnius Hetruriæ patronus.
Cuius replebant celſa palatia
Andinus ales, Cygnus & Appulus,
Propertiuſq; Plotiuſq;,
Atthides & reliquæ ſuaues.
Quot neſciebant tendere barbiton
Vates, abibant his procul ædibus:
Nam Cæſios, rudeſq; Aquinos
Mæuius, & Bauius colebant.
Nunc inſuaues principibus viris
Placent Camœnæ: & Chœrilus obſtrepit
Rurſus cicutis, conciniteq;
Carmine purpureos tyrannos:
Iſthoc nec vnus tempore Marſyas
Ad cantilenas poſcit Apolliniem:
Picamq; non pauci loquacem
Luſciniæ anteferunt canoræ.
Muſis amicus non ego grandia
Sono: comantem ſed per humum repo:
Apiſq; more floricarpæ,
Mella lego Calabros per hortos.
Quæ nent ſorores ſtamina gentibus
Donec Mineruæ numen abeſt, tuæ
Rupere dulcis fila vitæ,
Arbitrio anguicomæ Megæræ.
Formoſe IVLI *proh ſcelus, occidis*
Primis in annis, & procul a tuis,
Ceu caltha mollis icta in agro
Agricolæ grauiore raſtro:
Tam glorioſum ne in tumulo ſitum
MARI *nepotem plus nimio fleas:*
Solamen hoc tuo dolori,
Triſtitiæ & medicina fiat.
Vixit pudicus, vixit & integer,
Dum vixit, omni charus & ordini,

Auiſq;

Auiſq; dignus, qui coronam
Perpetuæ meruere famæ.
F A R N E S I A N A quis neget editum
De ſtirpe ? virtus tanta, nec inclyta
Propago iuuit vulgi vt vnus
Præda iacet Libitinæ in vrna :
Dei putabis non ſine numine
Id eſſe factum : quo ſine non cadit
Ex arbuto frons vlla vili,
Nec capite ex hominum capillus.
Iudex vt æquus, iuſtus, & arbiter
Pios olympi ſideribus beat,
Atq; arce donat in paterna
Perpetua requie frui ſci.
Luxere caſſum lumine Principes,
Hiſpana tellus luxit, & Itala :
Et Chriſtianæ gentis almus
Gregorius Pater, atq; Cuſtos.
Eius potentes interitu Duces
Dolent ; poëtæ Tybricolæ dolent :
Et rethores dolent diſerti :
Atq; cohors ſtudioſa Phœbi :
Ianus ſed omnes ante alios dolet
Facunde I V L I, nam puero tibi
Monſtrauit errores Vlyſſis,
Et Stomachum Aeacidæ ſuperbi :
Galli togati docta per oppida
Tuos honores aſtra ſuper vehens,
Pro parte conatur virili,
Te inſerere ordinibus Deorum.
Vt nouit omnis ciuis, & exterus,
Princeps Latino carmine, & Italo
Te æternat, & iuuante Muſa,
Grandibus elogijs honorat :
Et ſiue flammas excitat Heſperus,
Aurora lucem ſeu roſeam refert,
Non immemor tui, tepentes
Ex oculis lacrymas profundit.
Si plectra poſſet dulcia Pindari,
Lyramq; lenem vatis Horatij

Tractare, Bactra te vltra, & Indos,
Atq; ſuper veheret Triones.
Quem namq; docto carmine iuſtius,
Et multichordi dicere barbito
Debent Camœnæ, quam Camœnæ
Qui recolens, ſtudioſe amauit?
Certe id meretur relligio tua,
Et magna virtus, & pudor, & fides:
Doctrina nam te ſola claris
Vatibus æquiparat, ſophisq;.

Ad Pomponium Taurellum Montis Chæruculi Comitem Illuſtriſſimum.

TAVRELLE *funus deſine coniugis*
Deflere, nigra turtur in ilice
Vt comparem, furens dolore
Gutture dum geminat querelas:
Seu Phœbus orbem lumine purpuret,
Seu nox tenebris imbuat aëra,
Seiunctus a cœtu volucrum,
Exitium queritur maritæ.
Putaſne luctu, vel querimonijs,
Te poſſe Diuûm fata retexere?
Condiſce taleis ferre caſus:
Has Superi ſtatuere leges.
Quicunque terræ veſcimur vbere,
Aegros neceſſe eſt ſub tumuli ſcrobe
Ponamus artus, ſiue reges,
Siue inopes erimus coloni.
Quo chara Magno Iulia Cæſaris,
Matrona ſexus fœminei decus?
Quove vxor Admeti haud pauente
Auſa rogos animo ſubire?
Bullæ fugacis more, vel vndulæ,
Adami, & Euæ progenies perit:
Mundi redemptor ipſe tantum
Temporis haud ſpatijs tenetur.
Quòd ſi boatu grandius intones,
Quam vel ſonantem natus ad Aufidum?
Vel quam poëta, quem Camœnis
Dentigenæ genuere Thebæ;

Numnam recurrat ſanguis imagini ;
Nepos Atlantis quam ſemel horrida
Virga, Charontis per phaſelum,
Tranſtulit Elyſios ad hortos ?
Quando ferendum eſt Parca quod addidit
Damnum dolori, vi ſapientiæ
Munitus, has perfer procellas,
Vt decet egregium maritum:
Et da ſoluto vel numeris pede,
Vel colligato, ſidus inambulet
Per aſtra coniux, & puellis
Monſtret iter facile ad ſalutem.

Ad Eundem.

Q*VIS ſit triſtitiæ, quis lacrymis modus*
Tam charæ ſociæ connubij, & tori ?
Plectris Calliope triſte ſonantibus,
Triſteis concine nænias.
Ergo luce caret caſta Iſabellula ?
Cui quando eximiæ conſilio, fide,
Et vultu roſeo, & moribus aureis
Matronæ parient parem ?
Illam iure quidem carmine flebili
Noctes aſſiduus vir gemis & dies,
Vt turtur viduus compare: ſed pius
Fruſtra poſcis ab æthere
Nuptam: ſi ſtabili lege neceſſitas
Lethi fixa manet: nullus ab ædibus
Infernis redeat, vel Superûm domo
Hoc ad lumen amabile.
Quare ſi renuunt numina Cælitum
Votis, aut pretio fata retexere:
Hæc ferre æquo animo vulnera conuenit,
Vitæ tempus ad vltimum.

Ad Eundem.

N*O N ſemper æquor fluctuat, aut rates*
Impellit atris flatibus Aeolus,
Nec ſidus Orionis vſq;
Nimbiſonas glomerat procellas,
Dies nec omneis culmina montium
Ferit triſulco fulmine Iupiter,

Aut Adriæ ad pontum ſonorus
Parma gelu fluit impeditus:
Tu ſemper vrges flebilioribus
Odis maritam: nec tibi Lucifer
Surgens, nec Heſperus dolorem
Sedat ouans abeunte Sole.
At non canora Biſtonius lyra
Qui ſaxa vates mouit, & Inferos,
Plorauit vxorem per omne
Tempus in Iſmariis viretis:
Alcmena fatum mæſta nec Herculis
Eſt queſta ſemper. Diſiice lugubres
Tandem querelas, & triumphos
Cæſaris Auſtriadæ nepotis
Cantemus vna, aut celſæ Lutetiæ
Erepta flammis mœnia. Vaſconum
Regis profani, qui fideli
Exitium populo parabat.

In obitum Lucretij Pepuli Comitis Illuſtriſſimi.

B ELLONA *gaudens ſanguine, concutiens*
Decreſſe Belgas Marte laceſſere
LVCRETIVM, *propage auorum*
Felſina quem genuit vetuſta,
Non manſuetis concita Erinnybus,
Repente Parcis imperat impiæ
Mortis miniſtris, fila vitæ
Egregio iuueni ſecarent.
Ferro colonus Brutius, aut Ligur,
Sic ſæuienti frigore, vel niue,
Annoſa truncat terga quercus,
Quam veteres vocitant parentem:
Fragore rauco quæ ſuper incidens
Telluris æquor, cum viridi coma,
Vitalibus fibris relictis,
Fertur ad igniuomum caminum.
Quiſquis ſuperbis robore virium,
Lautæq; formæ dotibus, i modo?
Tibiq; grande pollicere?
Ecce iacet noua præda Lethi.

Quo nullus æque corpore pulchrior,
In orbe toto fortior aut fuit,
His namq; partibus duabus,
Nireo, & Aeacide extitiſſet
Momo vel ipſo iudice, clarior
Artes Mineruæ prætereo ſciens,
Florente queis olim iuuenta,
In patria, & Patani vacauit.
Orbata tanto ciue Bononia,
Voces ab imo pectore lugubres
Perſæpe duxit, & dolorem
Luminibus patefecit ægris.
At dignus omni laude RANVTIVS,
Non ſigna tantum triſtitiæ dedit,
Sed vt bonus, piuſq; Princeps
Ingemuit, lacrymaſq; fudit.
Hunc æmulatus ciuis, & aulicus,
Impleuit altis queſtibus aëra;
Funuſq; cum decente pompa eſt
Ad gelidam comitatus vrnam.
Eſt faſſa triſti voce Bononia,
Coram verendis patribus in foro,
Se illuſtriorem perdidiſſe
Ante alios Proceres alumnum:
Sperabat eius conſilio, & manu,
Decora patrum poſſe reſumere,
Seq; inter vrbes ferre multo
Altius aſtrigeras ad ædes:
Sed ſpes tot iſtas, votaq; inania
Portauit Eurus Thetyos in ſinum:
Orbauit & proterua Clotho
Et patriam, & patrios amicos.
Honore tanto, ciueq; amabili,
Qui cinctus armis Martis ahenеis,
Cohortibus Lutherianis
Funus: & exitium tuliſſet.
Prolem expetiſcens, vt fieri ſolet,
Duxit venuſto corpore virginem,
Volente quam procaciore
Sic Lacheſi, grauidam reliquit.

Virtutis

Virtutis illum candor, & aureæ
Humanitatis ſumma modeſtia
Aſciuit Aulaï in ſenatum
Principis egregij Ranutij.
Quando ipſe vitam reddere mortuis
Vetante Diuûm numine, non queo:
Fauente Muſa, quæ merentes
Eximit e tenebris Auerni,
Aut colligato carmine legibus,
Iiſdem ſoluto vel potius pede,
Enitar, eius vt perennis
Fama volet Latias per oras:
Et ſi canendi non mihi denegas
Vim Phœbe, cantus qui pater adiuuas,
Aeternitati conſecrabo,
Atq; feram Iouis ad nitentes
Aedes: decorum tum caput inſeram
Stellis coruſcis: qua micat inclytus
Heros, venuſta turre in alta
Quem Danae peperit Tonanti.
Tam nomen amplum vt poſteritas legens
Vel in ſepulchro, vel tabulis meis,
Sibi his honores grandiores
Ingenio pariat, vel armis.
Quicunq; flatu veſcimur ætheris,
Plantiſq; terræ iugera tundimus,
Debemur Orco, & Mortis antrum
Serius, aut citius ſubimus:
Non mancipatur ſpiritus attamen
Plutonis vmbris: ſed repetit domum
Iouis tonantis: vnde corpus
Venerat ad fragile, & caducum.
Non his Apellæ ſedibus, aut Getæ,
Nec gens tyranno ſubdita Thracio
Poteſt potiri: Chriſtianam
Ni prius accipiat ſalutem.
Sat Muſa de tam diſcipulo pio,
Impone mæſtis carminibus modum:
Et ſparge floribus ſepulchrum,
Non ſine Pierio canore.

Ad

Ad perilluſtrem Io. Aloyſium Scotum Placentinum.

*Q*VVM *triſtis aures nuncius ad meas*
Venit rebellis Flandriæ ab vrbibus,
Vixiſſe Ruffinum ſub armis,
Sanguine progenitum vetuſto,
Quo nullus æque corpore pulchrior
Fuit tot inter millia militum,
Qua dote ſic retro reliquit
Nirea; vt Aeaciden duello,
Grandemq; fandi Neſtora flumine:
Fudi ipſe luctus, & querimonias,
Quod ſæua Clotho tam decorum
Suſtulerit iuuenem parenti,
Nihilq; contra tela nefaria
Forti apta Marti pectora iuuerint,
Aut forma: qua flecti marita
Tartarei poterat tyranni.
Heu primo in æui flore cadis puer,
Vt malua duro ſaucia vomere,
Narciſſus aut tactus ligone,
Agricola fodiente terram.
At ne peremptum vulnere filium
Tam bellicoſum plus nimio gemas.
Dilecte SCOTTE, *& inquieto*
Excrucies animum dolore,
Cum laude ſumma concidit, & feros
Eſt vltus hoſteis: ſtrenuus, & potens
Virtute, & arte militari
Grande decus ſibi comparauit.
Quis ergo clara progenie ſatum
Non dicat illum? quis putet inuidus
Non eſſe dignum te parente?
Et proauis, atauiſq; claris?
Fleuere cæſum militiæ Duces;
Fleuere triſti lumine milites:
Alariæ fleuere turmæ
Sic equitum, vt peditum cohortes.
Sit eſca corpus vermibus, vt libet,
Atq; oſſa paruo marmore Mors tegat,
Aeterna fama permanebit,

Quam

Quam peperit ſibi bello, & armis ?
O ſpes inanes, votaq; inania ?
Quid non parentes de puero ſibi
Hoc polliceri ? at ille Parcæ
Præda iacet, gelidæq; Morti.
Iacentq; ſecum tela volantia ,
Haſtæ, ſariſſæ, ſpicula, caſſides,
Et quidquid eſt clarus Gradiuus
Enſe potens, frameaq; Pallas.

In obitum Aurelij Vrſij poetæ celeberrimi.

DA luctuoſam Flacce puer lyram,
Doctus periuit carminis artifex,
Caſtuſq; Muſarum ſacerdos ;
Vrſius Auſoniæ voluptas :
Cum quo nitentes inter Echinadas ,
Dixi reuinctus tempora pampino,
Byzantij naues tyranni
Ignibus Adriacis peruſtas .
In hoc duello tam memorabili,
Parmenſis Heros fulmine ferreo
Cum claſſe perfracta Scytharum,
Innumeros Arabas ſubegit.
Teſtis Columnas, teſtis Auunculus ,
Ibera pubes teſtis, & Itala,
Piusq; Maximus Sacerdos.
Teſtis & Euganeus Senatus :
Non vidit vſquam Marſpiter alterum
Belli ſcientem munia rectius
Tractare, nec gliſcente pugna ,
Conſilio, & gladio valentem
Magis, cohortes ſeu iaculo eminus,
Seu vulneraret cuſpide cominus
Fidæ machæræ , quam Pyracmon
In Siculo fabricarat antro.
Fleuere matres Biſtonides ſuos
Natos peremptos glandibus æneis,
Tinxiſſe Naupactæa fuſo
Littora Threicio cruore.
Et ni triremes Regis Iberiæ
(Quod ſic ferebant fata Britannica)

Cauris

Cauris furentibus per æquor,
Hippotades aliò tuliſſet,
Regina flauam quæ regit Angliam,
Ad Vaticanæ culmina Curiæ
Iam tracta per fretum fuiſſet,
Digna mori grauiore pœna.
Quum ſenſit iſthæc Rex Selymus, ſibi
Mortem, & catenas permetuens, fugam
Riphæa teſqua trans parabat,
Trans & Hyperboreas ſalebras.
Quò pergis amens Muſa? reuertere
Ad inchoatam materiam: tibi
Aurelius taxi ſub vmbra
Triſtibus eſt fidibus canendus.
Si vera fari mi licet, Vrſius
Non his poëtis perſimilis fuit,
Quos noſtra fert ætas (ſed illis,
Quos veterum genuere matres.
Nam quis Latinus, quiſue Academicus
Scribebat illo lemmata dulcius
Orationis? aut Camœnas
Doctius ad numeros ciebat?
Quis non ſtupeſcat carmine de domo
FARNESIANA; quod Cymini ad lacum
Dictauit, inſtigante Phœbo,
Iuſſa ſenis Domini capeſſens?
De vate tanto ſume ſuperbiam
Partam libellis Roma ſuauibus:
Tuiq; alumni cinge crines
Daphnidis ex folijs corona.
Quum par Maroni carminibus foret,
Et par Catullo, parq; Propertio,
Imparq; plectra nec moueret
Pindaro, & altiloquo Petrarcæ;
Inuidit amplis dotibus Atropos,
Et mox acuta forfice ſtamina
Condigna longiore vita
Abſcidit: & viduat parentem
Tam prole chara: quæ miſerabiles
Incluſa tectis dat querimonias;

Defletq;

Defletq; natum, vt ægra Progne
Luget Itym nemorum per vmbras.
Clangore ſentis perſonet vt domus
Edente mæſtos triſtitia ſonos?
Sororq; leſſum ducat ergô
Fratris, & ingeminet querelas?
Dum nuda pugnis pectora verberat,
Et vngue flauas dilaniat comas,
Heu ſæua fata, fata heu ſæua
Cum gemitu duplicat per ædes.
Fratremq; lugens frater amabilem,
Velat cupreſſu funerea caput,
Et vota vana, ſpeſq; inanes
Morte ſuas queritur fuiſſe.
At Tybris auctus tot lacrymis pater,
De parte læua qua fluit ad mare,
(Vt horrido fecit Decembri)
Diluuiem minitatur agris.
Omneſq; Nymphæ quas tenet alueo,
Latent in imo gurgite, & impias,
Sæuasq; nuncupant ſorores,
Licia quæ ſecuere vati:
Vnaq; dicunt voce, Quiritibus
Poſt ſtructa Roma mœnia, nil magis
Graue, atq; acerbum contigiſſe:
Poſſe nec accidere aut moleſtum.
Quid namq; peius, quid quoq; ſæuius
Continget vnquam ſanguine proximis?
Aut Romulæ, gentiq; Hetruſcæ,
Quam perijſſe nouem Dearum
Magnum miniſtrum? tendere barbiton
(Dirces alumnus, natus & Aufidi,
Pulſare quem quondam ſolebant)
Ante alios homines peritum?
Si plectra cordi queîs mea Cælites,
Mihi canorem Biſtoniæ lyræ
Darent, modosq;: Ditis atras
Impauidus tenebras ſubirem,
Et hinc fideli ſed ſine Theſeo,
Irem ad beatas Elyſij Iouis

Sedes,

Sedes, & extinctum ſodalem
A Stygio peterem tyranno:
Sed quando vatis vis fuit Orphei
Iſthæc, canendo qui potuit rudes
Mouere cautes, arboreſq,
Et celeres fluuios morari:
Tantumq. Diui ius mihi denegant:
Stat flere amicum flebilibus modis:
Eiuſque propagare nomen
Aeolia, & Calabra papyro.

Ad perilluſtrem Iò. Andream Peluſium ſui fratris filium, & Iuriſconſultum egregium.

NEpos Crotonis gloria patriæ,
Domuſque noſtræ præſidium, & decus,
Cui Parca crudelis dolore
Pectora luctifico repleuit,
Iuſſu tyranni Tartarei ſpecus
Acerba ferro licia præſecans
Tuæ parentis, quam ferebas
In geminis oculis, ſinuque,
Lugere tecum cur patruum vetas?
Qui ſemper æui tempus ad vltimum
Dilexit illam plus medullis,
Teſtis vt eſt genitor, tuique
Fratres. Paludis ſi Stygiæ lacus
Adiſſet, vxor vatis vt Orphei,
Conſpiſus entheo boatu,
Et citharę fidibus canoris,
Plutonis aures exhilarans ſono,
Angueſque fallens Eumenidum truces,
Pro parte conarer virili
Ad ſuperas reuocare ſedes,
Illamque charis reddere liberis,
Sed quando ſummi tecta adijt Iouis,
Suoque iuncta cum marito,
Perpetua hic fruitur quiete:
Nitar parentem perſonet vt tuam
Aeſar canoris notus oloribus,
Et vallis Empuſæ Lyæo
Vtilis, & Cereris coronis:

Duos

Duos ocellos ſideribus pares,
Fratrum Lacænæ virginis, Ilium
Quæ rapta vertit, & ſuperbum
Exitio Priamum peremit,
Cæli coruſcis ignibus inſeram,
Non queis Sabæus nauta regat rates;
Frugeſue demetat colonus,
Vinitor aut reſecet racemos,
Sed qui puellas quas genuit Croto;
Et magna Roma, & clara Neapolis,
Illas ad ædes luce ducant,
Quas habitant animæ beatæ.
Et non tacerem nectareum melos
Oris diſerti, coniugij fidem,
Formæq; munus, quo valebat
Rhenicolas ſuperare Nymphas:
Et [illegible] (quod odi) te morer, adderem,
Illam eſſe certum fæmineum decus,
In artibus caſtæ Mineruæ,
Flexanimi & Charitum lepore.
Non multiformi tegmine, vel colu,
Matres tot inter floruit, aut acu,
Sed Italis Muſis, & odis,
Quas lepidus cecinit Petrarcha.
Vixit tot annos coniuge cum ſuo
Et abſq; rixis, & ſine iurgijs,
Illiq; natos procreauit
Dotibus ingenij ſuperbos.
Nam matre pulchra filia pulchrior,
Excellit alta laude poëtria,
Acuq; pingit vt Minerua
Lintea multigenis figuris.
Loquela dulci nectare dulcior,
Oſtendit vnam ex Pierio choro:
Procera reddit bellicoſæ
Effigies ſimilem Camillæ.
O quam beatum docte nepos potes
Te cum duobus dicere fratribus
Hac matre: quam Ianus canendo,
More cycni cuperem moriri.

FINIS.